

Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et Justitiae, Sive Decisivi Discursus

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in
quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus
respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum
luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque
omnibus in utroque Foro ...

Pars I. De judiciis & judicialibus. Hoc est de Sententia & re judicata,
Executione, Attentatis, Judice, Notario, Advocatis, Procuratoribus,
Expensis, & aliis ad materiam judiciorum. Pars II. Relatio Romanæ Curiæ
forensis, ejusque Tribunalium, & Congregationum

**Luca, Giovanni Battista de
Coloniae Agrippinae, 1691**

XI. De Cardinali Camerario, ejusque Officialibus, & Tribunali.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74090](#)

præsertim praxis docet, in brevibus de capienda possessione nomine Camerae, ac etiam in reservacione pensionis voluntaria beneficio pleno; Hinc in isto præsertim posteriori casu, occasio recens mihi præbuit disputare in Rota, an Vicecancellarius, eiusque Cancellaria officiales, facultate habent istum terminum prorogandi; Atque prodit affirmativa resolutio; Tum ex stylo; Tum etiam ex ratione, à qua idem stylus originatus videtur, quod scilicet huiusmodi decreta adjici solent in gratiam Annatarum, aliorumque Cancellaria officia, pro corum emolumenta, quae obtinent ex causa onerosa, dum officia sunt venalia, & consequenter, ut non sit forma præcisi pro solemnitate, sed pro interesse tertii, qui potest suo juri cedere; Quamvis converso non definit probabilia fundamenta in contrarium, tit. de pension. in supplemento in Romana pensione.

Emolumentorum item, major, vel minor ass. quutio, præsertim in gravibus, ac majoribus expeditiōnibus consistorialibus ecclesiasticis. Metropolitanarum, & Cathedralium vel Monasteriorum, (ut agendo de consistorio, & collegio Cardinalium supra insinuatū est, disc. 5.) magnam habet dependentiam à Collegio Cardinalium, in cuius facultate, vel arbitrio repositum est, an gratiosa condonatio annatarum aliorumque emolumentorum, ex aliqua justa causa, in toto vel in parte faciat, ut præsertim praxis docet. in expeditionibus Ecclesiasticis ultra montes præsertim Gallia, & Germania, aliarumque regionum, in quibus, hereticorum, vel schismatistarum, aut infidelium molestias, & facturas Ecclesia passa sint, ob quas in aliquo paupertatis vel angustie statu sint constituta, idque huiusmodi gratis, & condonationibus initium seu ansam dedit, quamvis, cessata etiam causa, ex quadam stylo, prætendatur continua-

tit. Quid vero importent ducati auri de Camera, in quibus Datarie, & Cancellarie, ac etiam Secretariæ brevium emolumenta solvuntur, & quid importent floreni, sub quorum vocabulo, in libris Camerae, ecclesia Cathedrales, & Metropolitanas, & aliqua Monasteria, taxata reperiuntur in valore, in materia beneficiaria, ac alibi insinuantur, ubi videri potest, de benef. disc. 5. & 8. & tit. de credito, disc. 14. ideoque superflua digressio est id repetere.

Quamvis item, penè omnia emolumenta expeditiōnium, taxam uniformem habere videantur, à modernis scriptoribus de rebus Datarie insinuatam, Amayden. de stylo Datarie. Aliquæ tamen materiae, seu gratia graves, & extraordinariae, (qua arbitrarie dicuntur) iustum taxam non habent, sed ea est major vel minor, pro ipsarum gratiarum vel personarum aut temporum qualitate, & ex aliis circumstantiis, ut præsertim praxis docet in dispensationibus matrimonialibus in gradibus nimurum proximis, super quibus raro, & cum difficultate concedi solent, juxta ea que insinuantur per dictos scriptores praxis Datarie, ac alios scriptores praxis dispensationum, Amayden. ubi supra. & Pmr. Corrad. in praxi dispensationum.

Quamvis autem de hac solutio ne ignarum, vel iniquum vulgus, obloqui soleat, qualis quod consti tuenda non sit differentia inter divites, & pauperes, vel inter nobiles, & ignobiles, seu magnates, & privatos cum apud Deum, & in spiritualibus, non de tur acceptio personarum, quodque si gratia est con-

cedibilis, vel respectivè denegabilis, omnibus parioriter deneganda vel respectivè concedenda sit gratis, juxta naturam rerum spiritualium, non admittentium mixturam, vel commutationem temporaliū, ut quod gratis acceptum est a Deo, gratis dari, vel dispensari debeat; Attamen ignorantia, vel inequitas efficiens, verè ista obloquio est, cum huiusmodi emolumenta, pro laudabili stylo, nunquam, vel nimis raro violari solito, in privatam alicuius utilitatem, non cedant, sed applicentur piis operibus illis presentim, quae fidei Catholicæ, & Ecclesia universalis conservationem, vel servitum concernant, aduersus infideles, vel hereticos, aut schismaticos, ita id exigendo, tanquam speciem multæ seu pœnae delicti a potentibus, non autem ab imponentibus, cum quibus practicatur pœna luitio in corpore, mediante accessu ad Urbem, ac personali etiam sordido, & mechanico servitio, in fabrica Ecclesia S. Petri, vel in alio simili opere pio, ita quoque cum hoc exemplo multæ personalis, vel pecuniarie respectivæ, alios terrendo, vel coercendo, ut ab ista confuetudine contrahendi matrimonia cum conjunctis abstineant, ideoque revera iniusta obloquio est.

De aliis vero, istam Cancellariam concernenti bus, ad Expediteores potius, & puros praticos pertinet, nimiaque digressio, forte nauisativa esset, minutatim ea omnia recentere, eaque à stylo, ut plurimum pendent, qui variari solet.

DISCURSUS XI.

De Cardinali Camerario, eiusque officiis, & Tribunalis.

S V M M A . R . I V M .

- 1 D E origine, & antiqua potestate huius Cardina lis Camerarii.
- 2 De officialibus, & ministris, quos habebat subordinatas.
- 3 De diminutione eius auctoritatis, & qualis hodie fit.
- 4 In quibus causis se non ingenerat, dum eas cognoscunt A. C. & Gubernator Urbi.
- 5 Quare dicti officiales sedent in Camera, & cum quo voto.
- 6 De preeminentia Gubernatoris Urbi.
- 7 Quam presidentiam habeat Camerarius in Tribunali Camerae.
- 8 De auctoritate in Studio vel Sapientia; & in jure doctiorandi.
- 9 De potestate concedendi usum situum platea Agonis, aliorumque publicorum locorum Urbi.
- 10 Quod sit officium magna estimationis apud populum Urbi, & quare.
- 11 De Auditore Camerarii, eiusque jurisdictione, & quod cognoscat causas fiscales seu Camerales, & Appaltatorum.
- 12 De causis retractuum, ac viarum, & publiciorum nativis.
- 13 Cognoscit causas mercatorum, & camporum.

14 Item

14. Item causas hebreorum, & quas alias causas.
 15. Proceditur in hoc tribunal per viam monitorii, & juxta proximorum Tribunalium.
 16. Recipit propinas, quod damnatur.
 17. De quibus aliis causis cognoscet.
 18. De auctoritate, & praeminentia Camerali sede vacante.
 19. Quid quandoque istud officium soleat esse veniale.
 20. De ratione huius venalitatis, que in aliis officiis primariis Cardinaliis non practicatur.
 33. & 35.

Post extinctam alias magna potestatis dignitatem Cardinalis Archidiaconi; Cum Papa occupatus in cognitione causarum confistorialium, ac etiam aliarum, quas in capella, cum Capellani cognoscebat, vacare non posset administrationis eius Camera, seu fisci, & cognitioni causarum fiscalium, quam cum aliquibus clericis habere solebat; Hinc eiusdem Camerae administrationis seu presidentiam, una cum dictis clericis, comisit Cardinale, qui Camerarius proinde appellari confuevit; Verum paulatum iste officialis, juxta rerum, ac temporum contingencias, ob Papae commissiones, antiquam Archidiaconi potestatem penè in omnibus rea lumpit, praesertim circa temporale regimen immediatum Urbis, ac districtus; Ac etiam circa mediatum regimen ditionis temporalis, seu Status Ecclesiastici, in causis appellationum, vel recursuum; Quinimò eius auctoritatem extenderet capit, etiam in cognitione causarum prophanarum fori ecclesiastici in gradu appellationis, vel recursus, ab Ordinariis locorum, & a Metropolitanis, quas Papa in Consistorio, vel respective in Cappella, cognoscere solebat, utpote levores, vel criminales, in quibus ipse Camerarius, speciem Vicecamerarii gerere videbatur; Cumque omnibus per se ipsum vacare non posset, hinc aliquos deputare coepit adjutores, & officiales subordinatos, & praesertim, pro cognitione causarum appellationum, vel recursum ut supra, undique etiam extra temporale Ecclesiastice Ditionem, venientem, habebat Auditorem, qui dicebatur Camera, id est huius Cardinalis Camerarii Auditor; Ac etiam pro immediato gubernio temporali Urbis eiusque districtus, alium habebat ministerium seu adjutorem, cui ad differentiam Auditoris, dabatur nomen Vicecamerarii, & Gubernatoris Urbis, quod adhuc hodie retinet; Prout etiam, pro conservatione pecuniarum Camerae, ac administratione negotiorum eiusdem, five pro cognitione aliquarum causarum camerium minorum, pro quibus, clericorum iudicium, seu votum exquirere non videbatur adeo necessarium, alium habebat ministerium, cui dabatur Thesaurarii nomen, quod etiam hodie, adhuc retinet, aliosq; habebat ministros, & officiales; Quinimò ut nonnulla diaria docent) iste Camerarius, officium quoque Datarii, quandoque exercere consuevit.

Verum ex eadem forte ratione, ob quam, ex alibi supra insinuat, dignitas Archidiaconi suppressa fuit, huius officialis auctoritas quoque paulatim diminuitur, quoniam Pontifex manus apposuit in deputatione dictorum officialium, nempe Auditoris, Gubernatoris, & Thesaurarii, qui utpote independentes à Camerario, tribunalia propria efformare cuperunt, cum Papa immediate communicaeant ea, que in gravioribus negotiis conting-

bant, adeo ut à Camerario nullam haberent iherendentiam; Atque hinc sequutum est, ut tractu temporis, eius auctoritas restrikti sit ad quendam potius honorificam praesidentiam seu praefecturam Camerae Apostolicae, seu fisci utriusque Principatus ecclesiastici, & temporalis, dum actualis administratio (juxta hodiernam proximam) residet penes dictum Thesaurarium, & penes collegium, seu Tribunal praefatorum clericorum, ut infra in eorum particularibus rubricis advertitur, infra discu.

Nullatenus verò se ingerit extra negotia cameralia, seu fiscalia, nempe in causis indifferētibus, civilibus, & criminalibus, prime instantie Urbis & districtus, vel ulterioris instantiae, utriusque principatus, dum ille respectivè cognoscuntur per dictos Auditorem, & Gubernatorem, qui propterea quamvis non sint judices competentes dictarum causarum ad Cameram Apostolicam pertinentium adhuc tamen eamdem remittunt, & continuant consultum in eisdem sedendi in Camera, una cum Clericis, ut etiam facit Thesaurarius, cum voto tamen consultivo tantum, quia scilicet antiquitus, tanquam ministri Camerarii interveniebant; Ad instar illius infra insinuandi interventus hodierni, domestici Auditoris, Auditoris Camerae, & alterius Auditoris Thesaurarii in aliquibus Congregationibus, ut suis respectivè particularibus Rubricis advertitur.

Quinimò Gubernator retinet quoque nuncupationem Vice Camerarii, & tanquam talis pluribus potitur honorificis praeminentiis, tam in sessionibus, quā in equitationibus Pontificis, cum præcedentia non solum supra Prælatos, sed etiam supra Principum Oratores, ac Pontificis nepotes, aliosque Magnates, qui possunt praeminentia afflēti in solio Papæ, Incedendo etiam per Urbem cum quadam pedestri familia armata, quæ Allabardiorum dicitur, tanquam per imaginem Principis, vel majoris Magistratus; Id enim huic muneri Vicecamerarii refertur, ut infra in eius particulari rubrica habeatur. Disc. 34.

Aequaliter verò, Cardinalis Camerarius, vivente Pontifice, aliquas retinet prioris auctoritatis, & jurisdictionis reliquias, tam circa praesidentiam, ac interventum pro eius libitu in Tribunalis Camerae Apostolicae, de quo infra, cuius caput & Praefectus est; unde properea ad instar eorum, quæ disc. præcedenti insinuata sunt, de Vicecancellario præbente statutis temporibus prandium Rota Auditoribus, ita idem agit Cardinalis Camerarius cum Clericis, aliosque Officialibus, Tribunalis Camerae, dum quibusdam statutis temporibus, seu alias juxta contingencias, in eiusdem Cardinalis domo congregari solent, pro aliquibus negotiis, quæ indies administrantur, per unum ex eodem Collegio, quando de generalibus, vel gravioribus determinationibus agatur; Putà (Ex. gr.) pro gracia Urbis, quam unus Camera Clericus administrat, sub nomine Praesidentis; Vel circa taxam pretii carnium diversarum, quæ pro diversis respectivè temporibus in aliis sunt, aliorumque viualium, quam facere congruat, seu alias provisiones sumere super viis publicis, & fontibus, aliosque similibus negotiis.

Habet etiam Praefeturam gymnasii, seu studii publici Urbis, quod sub nomine Sapientie, vulgo appellatur, sub administratione Collegii Advocatorum Confessorialium, habentium facultatem do-

ctorandi

RELATIO ROM. CURIÆ FORENSIS

42

¶ Gorandi in utroque Jure, prout alia Collegia Theologorum, & Medicorum ejusdem Sapientia, habent conferendi eundem gradum in dictis aliis facultatibus, sed cum praesidentia cuiusdam Officiale, qui deputari solet per Camerarium, ille que solet esse Praelatus, atque pro moderna frequentiori praxi esse solet R. O. Auditor, qui aliquam obtinet participationem emolumentorum, quæ per docto-
rando depositur.

¶ Prout etiam praefecturam, & auctoritatem habet concedendi, seu distribuendi usum aliquorum li-
tuum, seu locorum publicorum Urbis pro vendi-
tione virtualium, aliarumque rerum, & praesertim
in magna platea Agonis, non autem ad perpetuam
occupationem, & usum privatum, cum id fiat per
aliud organum, ut infra in rubrica Ædilium; In
discut in quo agitur de Praefide, & de Magistr. viarum.
Aliasque retinet facultates, ac præminentias
huiusmodi; Unde propterea magnum confort nu-
merum officiorum ex quo sequitur istud officium
sit præceteris magis populari, id est, quod ob de-
pendentiam tot personarum, qua ab eodem ob-
tinent haec minora officia, aliquod emolumentum
præbentia, est magna existimationis apud popu-
lum.

¶ Quo verò ad exercitium forensis, vel conten-
tiose jurisdictionis, illud habetur per Auditorem
particularem, ad hoc deputari solitum, qui ut plu-
rimum est Praelatus, sed quandoque etiam Curia-
lis, ac frequentius diversus ab illo doméstico, seu au-
toco Auditore, quem quilibet Cardinalis habet,
tanquam Consiliarius, seu studiorum adjutorem,
pro negotiis consistorialibus, & sacrarum Congre-
gationum, vel pro causis commissariis, aliisque oc-
currentiis; Proindeque iste, qui dicitur Auditor
Camerarii seu Camerarius, regit, ac repreäsentat
Tribunal Camerarii, qui volens, ne prohibetur fa-
cere per se ipsum, id quod facit, per alium Auditorem, sive aliquas causas particulariter committe-
re alii, tanquam per imaginem Episcopi, & Vica-
rii generalis.

Hoc autem Tribunal pariformiter cum altero
eius filiali Thesaurarii generali, de quo infra in
eius particulari rubrica, dicuntur Judices fisci A-
postolici, in prima instantia, dum Tribunal Ca-
meræ est Judex in secunda instantia; Et per conse-
quens, juxta ea, quæ favore fisci in jure statuta
sunt, cognoscit, non solum de causis, quæ sunt im-
mediatè cum fisco actore, vel reo, (illis exceptis, quæ specialiter, ac privatè, per Apostolicas
constitutiones, illam præfertim Sixti V. commis-
sunt Thesaurario, ut (ex. gr.) sunt causa spoli-
orum ecclesiasticorum, & locorum montium, & alia,
de quibus infra in eiusdem Thesaurarii particuli-
ra rubrica, sed etiam, ubi fiscus habeat intereste con-
nexum, vel mediatum, ut sunt causæ appaltuum,
dohanarum, & gabellarum, aliorumque publicorum
vectigalium, ac jurium fiscalium seu regalium; Ac
etiam (prius frequentius hodie verò rarius, ob crea-
tionem Congregationis boni Regiminis) est Ju-
dex causarum Communitatum secularium Status
ecclesiastici.

Major verò cognitio huius Tribunalis versari
videtur partim aliquo modo ad juncto, & partim cum
Ædilibus Urbis, qui vulgo Magistri viarum dicun-
tur, de quibus infra in sua particuliari rubrica, super
causis retractus prælativi, & coactivi, seu alterius
ornatus Urbis, aut refectionis viarum ad pre-
scriptum Constitutionis Gregorii XIII. De multis

causis huiusmodi actis in hoc Tribunali sub tit. de servi-
tut.

Item est Judex competens in causis publicorum
camporum seu bancheriorum, aliorumque publicè
negotiantum circa ipsam negotiationem, quasi
quod fisci inter sit non deficere istorum publicam fi-
dem; Ac etiam est judex competens Hebraeorum,
corumque universitatis, eo modo, quo est etiam
Cardinalis Vicarius, ut infra; Prout cognoscit de
controversiis, quæ orientur super usu publicarum
platearum vel situum, quem ipse Camerarius, ut
supra, concedit, pro venditione virtualium, aliisque
commoditatibus.

In hoc autem Tribunali proceditur etiam per
viam monitorii, non autem libelli, eodem modo,
quo in illo A. C. ac generaliter in aliis Tribunalis
Urbis, excepto foro Capitolino; In eo autem
dignoscit videtur parum commendabilis usus,
ac etiam in Tribunalis Thesaurarii, & in illo Vicarii,
quod cum sit Judex prima instantie, sive delegatus
ad certa genera, sive universitatem causarum, quod
quod cum Ordinario fraternizat, habeat usum
sportularum, seu propinarum, quæ propinarum,
quæ pro meo sensu, in illis præfertim Tribunalibus,
quæ ab unicō Judice regantur, adeo ut non sint col-
legiata, damnabiles videntur, plurimumque inconve-
nientium productivæ.

De plerisque aliis causis quoque cognoscere so-
let; Vel ex sylo; Vel ex capitulis appaltuum, Vel
ex Apostolicis commissionibus, & præfertim in de-
cimis Papalibus, quandoque id praxis docet; insi-
nuatur sub tit. de benef. disc. 10. Sive in aliis Constitu-
tionum, vel Edictorum contraventionibus, ubi
præfertim de iis agatur, quæ aliquam habeant con-
nexione, cum juribus fiscalibus vel regalibus, sive
cum publica annona, vel gracia, ut quandoque
praxis docet, insinuatur sub tit. de jurisdictione, disc. 85.
adeo ut non de facili omnino certa regula desuper
statu valeat.

Major autem hujus Cardinalis Camerarii au-
toritas dignoscitur sede Papali vacante, sive va-
catione imminentे, quia nempe Papa in mortis ar-
ticulo sit constitutus, cum isto tempore repreäsentare
dicatur imaginem antiqui Camerarii, adeo mag-
na auctoritatis, quoniam ubi fama sit, quod Papa
sit graviter infirmus, atque in mortis articulo con-
stitutus, sibi denegari non potest aditus, sive ingre-
sus ad ipsius Papæ cubiculum, ad effectum se corri-
ficandi, de vita, vel de morte, pro juribus & inter-
esse Cameræ; Apponendo etiam, quando velit in
eo statu jam imminentis mortis, custodes in pala-
tio.

Sequuta verò morte Pontificis, coram ipso, &
interveniente Tribunali Cameræ constituti ex Cle-
ricis, aliisque auctoris, fit recognitio cadaveris, sibique
consignatur annulus pectoralis, qui ab ipso publicè
frangitur, adeo ut eius usus amplius haberī nō pos-
sit; Ac etiam suscipit gubernium, & administratio-
nem Palati Apostolici, quam distribuit inter Ca-
meræ Clericos, quorum singuli sua habent eiusdem
Palati officia; Puta, Unus circa autam pontifi-
ciam; Alter circa ærarium supellestrium, vulgo
guardarobba; Alter circa cellam vinariam; Alter
circa rem frumentariam, seu furnum; Alter circa
stabulum; Alter circa viridaria cum simili-
bus.

Ac etiam jus vel administrationem habet in
constructione Conclavis, juxta formam tamen à
Collegio Cardinalium præscriptam, plures desuper
deputan-

deputando officiales, & assistentes, cum pinguibus emolumentis; unde propterea (ut premissem est,) tam ob ista, quam ob alia superiorius enunciata officia, que concedit seu distribuit, istud est munus magis popolare, seu apud populum majoris existimationis, & adherentiae, (Quoties qui illud obtinet, gencerosè, ac judiciose exercere sciat,) Ipsaque Camerarius pro tempore, quo durant non vendiales exequiae pontificiae, usque ad clausuram conclavis, habitat in ipso Palatio Apostolico, atque per Urbem incedit more Principis, praecedentibus illis militibus Papæ, custodia praepotitis, nationis Helveticorum, qui vulgo Allabarderii, seu Suizzeri nuncupantur, atque in hoc majestas officii dignoscitur, quoniam adhibentur idem, qui Papa inserunt, cum eisdem armis, & vestibus, licet cum aliqua moderatione circa numerum, adeo ut dignoscatur differentia, ab ea militum custodia, quam habet omnibus temporibus, etiam sede plena, Gubernator Urbis, tanquam eius Vicarius, ut supra.

Quandoq; autem istud officium, tamquam merè prophanum, seu temporale, ac ratione merè temporalium emolumentorum, pro Sedi, & Camera Apostolica indigentias, consuevit esse venale, ut etiam nostra xata sub Gregorii XV. Pontificatus, praxis docuit; Recensque est memoria eiusdem praxis sub aliis Pontificibus, & praefertim sub piissimo, & candidissimo Apostolici patrimonii administratore, B. Pio V. id practicatum fuit pro servitio Christianæ fidei, pro expensis scilicet classis navalis contra Turcas, per quam celeberrima victoria reportata fuit; Semper tamen cum personis in cardinalitia dignitate jam constitutis; Istaque venalitas, seu pretium non refertur muneris administratione, sed emolumentis merè temporalibus, juxta ea quæ generaliter agendo de venalitate clericatum Cameræ, aliorumque officiorum Curiæ, contra obloquionem ignari, vel maligni vulgi, latius deducta habentur in regalium sede occasione agendi de materia officiorum venalium, tit. de Regal. disc. 2.

Id autem practicari non solet in aliis pariter majoribus muniberis, Vicecancellarii, Penitentiarii, & Vicarii, quamvis respectivè notabilia habeant annexa emolumenta, cum sint officia principaliter ecclesiastica, & spiritualia Papæ, tanquam Papæ, vel respectivè tanquam Episcopi Urbis; Istud vero officium principaliter est temporale seu prophanum Papæ, tanquam Principis temporalis, pro administratione Cameræ, seu fisci laicalis, quamvis accessoriè, & consequitivè aliqua quoque annexa sit administratio alterius fisci ecclesiastici seu Papalis; Ideoque longa differentia est inter illud officium, & dicta alia tria; Eademque propterea differentia dignoscitur inter Clericatus Cameræ, & Auditoratus Rotæ, & quare illa, & non ista officia sunt venalia, dum ista quoque promptissimos invenerint emptores pro pretio valde notabili.



Card. de Luca. Relatio Curia Romana.

DISCURSUS XII.

De Cardinali Poenitentiario; Et de ejus Tribunal Poenitentiariæ.

S V M M A R I V M.

- 1 **D**E origine huius officii.
- 2 *De eius antiqua potestate, & facultatibus.*
- 3 *De iustius potestatis magna moderatione.*
- 4 *De expeditionibus, que prius fiebant per Datariam.*
- 5 *De hodiernostatu, & facultatibus.*
- 6 *Et presertim circa dispensationes matrimoniales, earamque emolumenta.*
- 7 *De emolumentis bursalibus.*
- 8 *De Poenitentiariis auditibus confessiones sacramentales in tribus Basilicis.*
- 9 *De Poenitentiariis domus Lauretanæ.*
- 10 *De expeditionibus vel breviis Poenitentiariæ.*
- 11 *De Poenitentiariæ Congregatione, & de Regente, aliisque Officialibus majoribus.*
- 12 *De Procuratoribus, & Scriptoribus.*
- 13 *Expeditiones dantur gratis omnino.*
- 14 *Officiales omnes praedicti providentur etiam gratis, & quomodo.*
- 15 *Super quibus dentur ab hoc Tribunal expeditiones.*
- 16 *De absolutione ab excommunicatione Canonis etiam publice, ventenium ad Urbem.*
- 17 *Quando cum eis dispensetur super hoc accessu.*
- 18 *De dispensationibus ab irregularitate ex homicidio.*
- 19 *De revalidatione provisionum simoniacarum.*
- 20 *De facultatibus eligendi Confessarium in religiosis utriusque sexus.*
- 21 *De concesione omnium expeditionum gratis.*

QUAMVIS apud antiquitatis Professores, cum consueta opinionum varietate, multum obscura videatur huius officii introductio, nimium tamen probabile videtur, ut ea quoque fuerit in Ecclesia primitiva, sub persecutionibus infidelium; cum etenim ex eis resulant, in iis, qui minus constantes esent apostasie, aliave gravia peccata, quorum absolutio in resipiscientibus solus pontificia potestatis erat; Pontifex autem per se ipsum hoc absolutionis munus cum injunctione poenitentiarum salutaris, ob alias occupationes, solus explicare non posset; Hinc proinde ministrum, seu adjutorem in hoc munere quoque assumptum, probabile est, ut istum Vicarium in spiritualibus depitulo, eo modo, quo in temporalibus Archidiaconom, etiam circa ea tempora deputavit.

Quidquid autem sit de ista, vel de aliis opinionibus in questione, quæ in praxi parum proficia est; Illud certum est, quod huius quoque officialis in spiritualibus, non solum interni, sed etiam externi fori, magna erat potestas; unde propterea, ut (agendo de Datario ac de Secretario breviuum supra advertitur,) magna pars illorum negotiorum, quæ per Datariam, atque per hanc Secretariam hodie expediuntur, tunc per hoc Poenitentiariæ Tribunal explicabantur, cum magno numero Procuratorum, & Scriptorum aliorumque Officiorum.

Ff

Ista